

EXPERIMENTVM I.

Accipe portionem sanguinis humani recentis, eandem demanda tubulo graciliori et capillari vitreo, quem applicabis vitro lenticulari Microscopii, et videbis magnum acervum globulorum rubicundorum massae ramosae, quasi et fluidae immerforum.

EXPOSITIO.

Hoc experimento globulos dari in Sanguine demonstramus, quos partem massae sanguineae cruentam constituere quidam sunt persuasi, ramosam vero gelatinam, et fluidam massam serum sanguinis non immerito forsitan aliquis appellare poterit. Nam liquor purpureus, isque vitalis, eque heterogeneas illasque sexcentas in se continet particulas, ita ut in eodem vel amarum vel salsum, vel acidum vel dulce, volatile vel fixum, crassum vel tenue, et nescio quae non hodie recentiores invenire et demonstrare allaborent; nihilo tamen secius illi nobis melius sibi consulere videntur, qui ejusmodi confusas variarum partium minimarum in sanguine demonstrationes negligunt, atque particulas ejus minimas dividunt in manifestas et non adeo manifestas, manifestioresque appellant serum, gelatinam atque cruorem, ipsumque cruorem reliquas varii generis in se continere non adeo in sensus incurrentes cum recentioribus statuunt.

EXPE-